

*Deus faciet vindictam electorum suorum  
clamantium ad se.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

18, 1-8

In illo témpore:

- <sup>1</sup> **D**icébat Iesus discíplis suis parábolam,  
quóniam opórtet semper oráre et non defícere,  
<sup>2</sup> dicens:  
«Iudex quidam erat in quadam civitáte,  
qui Deum non timébat  
et hóminem non reverebátur.  
<sup>3</sup> Vídua autem erat in civitáte illa  
et veniébat ad eum dicens:  
“Víndica me de adversário meo”.  
<sup>4</sup> Et nolébat per multum tempus;  
post hæc autem dixit intra se:  
“Etsi Deum non tímeo nec hóminem revéreo,  
<sup>5</sup> tamen quia molésta est mihi hæc vídua,  
vindicábo illam,  
ne in novíssimo véniens suggílet me”».  
<sup>6</sup> Ait autem Dóminus:  
«Audíte quid iudex iniquitátis dicit;  
<sup>7</sup> Deus autem non fáciat vindíctam  
electórum suórum clamántium ad se die ac nocte,  
et patiéntiam habébit in illis?  
<sup>8</sup> Dico vobis:  
Cito fáciat vindíctam illórum.  
Verúmtamen Fílius hóminis véniens,  
putas, invéniet fidem in terra?».

Verbum Dómini.